



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Quid sit regnum Sathan[a]e. tit. 228

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

fiarum, monasteriorum ac cultuum, idè institutus, scilicet vt pro fundatoribus & alijs perpetua sint memoria, & exindè ministri Ecclesiæ & religiosi iam etiam habeant necessitatem, quatenus extirpentur, negant prodesse mortuis suffragia, &c. & solummodum in clerū facit abnegare suffragia, rapere bona clericorum, deuastare ecclesiam, &cæt. At Ecclesia petit pro viuis & defunctis misericordiam propter effusum sanguinem Christi, quem ad eò effudit in cruce pro iam mortuis fidelibus, sicut pro presentibus & futuris.

QUID SIT REGNUM SATHANÆ.

TITVLVS CCXXVIII.

Rimò, Regnum sathanæ est ius, potestas, dominium, quod habet supra omnes filios Adæ, acquisitum ex transgressionem primorum parentum, Gen. 3. quia ille naturam nostram sic vitiauit, quòd omnes concipimur & nascimur in peccatis, Psal. 50. Rom. 5. in quo omnes peccauimus, nihil nisi ea que, [carnis sunt sapimus, Rom. 8 & facimus, Gal. 5. opera carnis, vt sunt immunditia, fornicatio, &c. ijs motibus peccati regnat sathan in homine & carne nostra, & omnes damnat homines, ac trahit sua fortitudine ad infernum, nisi quem liberauerit per fidem Dominus noster Iesus Christus, nisi cui infuderit spiritum sanctum, qui alios in nobis creauerit mortuus, Acto. 2. Tit. 3.

Secundò, sic ait Christus Ioan. 8. Si filius vos liberauerit, id est, per fidem, à tali regno Sathanæ, & dederit spiritum sanctum qui coadistit spiritui nostro, Roman. 8. tunc verè liberi eritis. Sic i Cor. 12. Cum Genes essetis, duxit vos sathā ad simulachra murtu. At nunc illuminati per spiritum sanctum nemo vestrum, anathematizat Iesū. Sed omnes quotquot

cunt, Dominus meus Iesus: hi sunt illuminati à Spiritu sancto, & liberati è regno sathanæ. Vbi enim Christus intrat, expellitur sathanas: Non enim est conuentio Christi & Belial, 2. Corint. 6. id est, simul cohabitatio.

Tertiò, In quo quisque regno sit, ex operibus dignoscitur. Si in regno Christi, tunc ille agit iuxta fidem, dilectionem, timorem, & in cæteris virtutibus & fructibus Spiritus sancti, Gal. 5. ambulat. Et qui in Christi regno sunt, carnem suã crucifigunt cum concupiscentijs suis. Si autem est in regno sathanæ, tunc agit & viuit secundum carnem, id est, opera carnis perpetrat, Gal. 5. quæ sunt fornicatio, luxuria, idolorum seruitus, inimicitia, iræ, rixæ, dissensiones, homicidia, sectæ, ebrietates, & ijs similia, de quibus dico: si quis talia fecerit, regnum Dei non possidebit. Probet nunc quisq; seipsum, in quo regno sit.

Sed inquires: Quis est sine peccato? Ergo nemo est in regno Christi? Respondeo: Quidam sunt inuoluntarij peccatores, qui resistunt motibus & telis sathanæ, sicut Rom. 7. dicit Paulus: Sentio aliam legem in membris meis, &c. sed resistit. Et sic petimus à Deo propter Christum, ne inducamur in tentationem, Mat. 6. At quidam sunt ex voluntate & proposito peccatores, & pergunt sine pœnitentia & cessatione in peccatis carnis, & de illis dicit Apostolus Roma. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini.

DE DIFFERENTIA HUMANORUM
præceptorum seu traditionum.

TITVLVS CCXXIX.



RAEceptum humanum est, quod non includit in se Dei verbum & præceptum: Nec fit propter verbum & præceptum Dei, sed solū ab homine excogitatum contra